



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De non recitante ex novo Breviario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

unum debet recitare Officium, & in die festivo, occurrentibus pluribus festis, uni Missa debent fideles assistere.

28. Dubitabis tertio de habente beneficium in Ecclesia, in qua sit consuetudo, ut per annum, vel per sex menses primos Beneficiarius nec habeat fructus beneficij, nec distributiones, sed ut dividantur inter aliquos beneficiarios, vel in opera alia pia, &c. Respondeo, licet hæc consuetudo sit per Canones abolita, Extr. Joan. 22. *Suscepti de elect.* Conc. Trid. sess. 24. de ref. c. 14. Pius V. *Durum*, Const. 106. volentes, ut saltem mediam partem habeant beneficiarii: tamen si alicubi adhuc & legitime viget, est probabile non teneri beneficiarium ad recitationem officij. Ita Castro *l.c. n. 19*. Ratio est, quia consuetudo est irrationabilis, ad quam non consentit beneficiarius, nisi admodum violenter, ne à beneficio excludatur. Cum ergo fructibus, & distributionibus sine sua culpa careat, servare per Officium non tenebitur eo tempore correspondente fructibus ablatis. Beneficiarios dictos antiquos excuso à restitutione, & peccato, quia faver illi consuetudo, licet irrationabilis; at legitime jam nunc introducta, ut supponimus.

29. Sed quid si solum titulum beneficii habeam, nondum tamen ejus possessionem, saltem pacificam?

Respondeo tribus dictis. Dico primo, si per te stat, quin possessionem habeas, fructusque percipias: te obligari, quia ob tuam culpam non debet Ecclesia privari suo servitio. Ita Sum. *lib. 4. de Orat. cap. 19. n. 7. & 8.*

30. Dico secundo, si possessionem habeas, licet litigiosam, sed tamen fructus percipis, vel spem moraliter certam habes percipiendi, te item obligari, sic Bonac. *tom. 1. d. p. Hor. Can. q. 2. p. 4. n. 16*. alios citans, quia tunc commodum, saltem per certam spem, sentis, unde & oneri te subesse æquum est. Quid si certa dicta spes non adfuerit, quia commodum caret, careres & onere.

31. Dico tertio, si licet titulum habeas, à possessione tamen sine tua culpa sive ob litem, sive ob aliam causam, excluderis, te non obligari, sic Bonac. *ibid. p. 5. n. 25*. Ratio est, quia dum non possides, non diceris habere propriè beneficium, cui annexa est obligatio recitandi; quæ, cum sit onus grave, non est extendenda, sed limitanda ad habentem propriè, & perfectè beneficium. Quare si possessionem eras sis certò habiturus, eras eris obligatus, non hodie. Quid si duo litigarent de Beneficio, & neuter esset in possessione: neutrum obligari ex dictis, deduci debet, quia neuter in rigore beneficium habet. Ita Castro *Pal. tom. 2. tr. 7. d. 2. de oratione, part. 1. §. 2. n. 15*.

32. Petes primo; An qui omittit Officium uno, vel altero die in anno, mortaliter delinquit?

Angelus *v. Hor. q. 10*. refert, nec reprobat, sententiam Ricardi dicentis omittere Officium tunc esse mortale, quando, vel fastidio Divini cultus, vel ex contemptu, vel ex consuetudine omittitur: secundum Juristas autem binum actum inducere consuetudinem, sed hæc sententia caret probabilitate: sic enim ex mera negligentia semel, & iterum, non jejunare in Quadragesima, vel non interesse Sacro aliquo die festivo intra annum, pari modo, non esset mortale, quia non esset ex consuetudine, sed profectò grave quid esse unodecimas non persolvere, ut item semel in Quadragesima non jejunare, vel Sacro non adesse die præcepto, ut certum, & exploratum omnes supponimus.

33. Petes secundo, Beneficiarius, qui sit Sacerdos, vel Religiosus deputatus ad Chorum, si Officium omittat, duplici, an unico peccato peccat? Respondeo, licet probabilius sit cum Sanch. *Suar. Bonac. apud Matth. de ord. tr. 3. p. 6. c. 12*. peccare dupliciter, contra justitiam, & contra Religionem, tamen est etiam probabile, & Henr. Garfia alios referent. apud eundem March. *ib. unice delinquere*, scilicet contra Religionem. Beneficiarii enim, cujuscunque deputati ad Officium obligatio tandem ad Religionem, seu ad colendum Deum resolvitur.

§. II. Quod est illud Officium, ad quod recitandum tenentur prædicti.

1. **V**erbo: Officium ex Breviario Romano, excipitur nihilominus qui alio Breviario utuntur ex consuetudine ante ducentos annos, quales sunt, v. g. Monachi Sancti Benedicti, Dominicani, Ecclesia Mediolanensis, Samburg. Leodicensis, & si quæ aliæ sunt hujusmodi: quibus tamen conceditur posse, si velint, consentiente Capitulo universos hoc esse, saltem majore ejus parte, & suo Episcopo (in Monasteriis exemptis consentiente suo Prælato) conceditur, inquam, amplius posse prædictum Breviarium Romanum, ita Castro *tom. 2. tr. 7. d. 2. de Orat. p. 2. n. 1*. quod si fiat non licere acinde iterum ad antiquum Breviarium regredi, rectè notat Less. *lib. 2. cap. 37. dub. 12. n. 74*.

Jam qui, secus ac dictum est, recitat, obligationi nequaquam satisfacit. Impressores verò, ac Bibliopola sub pena excommunicationis latæ prohibentur imprimere, vel vendere Breviaria Romana, nisi præcesserit licentia Inquisitoris. Ita Clemens VIII. *Cum in Ecclesia*, (vel qui si non fuerit) Ordinarii in principio vel fine Breviarii apponenda; Adverte ejusmodi Romanum Breviarium fuisse primum à Pio V. *Quod à nobis*, editum, deinde à Clemente VIII. *Cum in Ecclesia citra*, recognitum, & denique cum hymnis novis ab Urbani VIII. *Divinam Psalmodym*, revisum, injunctumque omnibus, ut ita novo hoc uterentur, ut qui haberent illud Pii, vel Clementis, eo possent uti, illudque venderet in posterum noningerentur semper nova cum prædicta Inquisitoris, vel Ordinarii facultate.

Prima Difficultas.

De non recte ex novo Breviario.

3. Huc plurimæ consuevit difficultates à nobis breviter enodanda; Prima: An qui possunt emere novum, teneantur? Non teneri certum sit, quin etiam, si domi novum quis habeat, potest is solvere pensum Officij ex illo Pii V. vel Clementis VIII. Quia dum hæc extant, permittuntur; immò, nō scrupulum ego injeci cuidam, qui Matutinum cum Breviario Pii, vel Clementis; Horas cum Breviario Urbani, vel contra, recitabat: Multò magis ei, qui penitentiam de recitando aliquoties Officij injunctam à Confessario, semel ex uno, semel ex alio persolvebat, jam enim semper legitimis Breviariis utebatur.

Secunda difficultas.

De licentia imprimendi nova Breviaria.

4. An possis uti novis Breviariis impressis, v. g. Patris, cum sola approbatione supremi Consilij Regij, non verò Inquisitoris, vel Ordinarii? Puto posse: ita Navar. in *summ. cap. 17. n. 148. in Reg. Cast. & Franc. Bon. d. 2. de cens. in part. quæst. 2. p. 16. n. 6*. quia jam usu receptum est alicubi, facultatem imprimendi haberi à dicto Supremo consilio, quod idoneum fore vitum deputare ad libros approbandos: Quare tunc, vel non sunt receptæ leges, quibus jubetur esse libros approbandos à persona Ecclesiastica, vel non deest ejusmodi approbatio, quia ex ipsa introducta consuetudine censetur Ordinarius deputare eos ipsos, quos Regium Consilium deputat: quam praxim Roma ipsa comprobat, cum passim ejusmodi libri Romæ palam vendantur: Vide quæ dixi *cap. 1. §. 7. num. 50*.

Tertia difficultas.

An Religiosus obligetur recitare Officium Diacefanorum.

5. Si quando in Diocesi ritè celebrentur festa propria, v. g. Patronorum, vel similium, reusne erit Religiosus